



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Baptismus è porcis præstigiosis homines faciens magnæ conuersionis
caussa fuit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

est, hominem, ut hominibus placeat, nolle esse vultu monstrum; & ne Deo displiceat, non curare animæ suæ monstrositatem.

Sicut autem, dum medici morbos curant, morbi vicissim medicos commendant; ita fit in diuinis Sacramentis, dum sanant prodigia, fiunt prodigiosa. Neque ea vis soli est Sacramento poenitentiae. Baptismus quoque ut hoc genere inclaresceret, & morbos foedos pepulit, & deformitatem. An. 1298. Rex Tartarorum Cassanus, quem Magnū vocant, cum ducentis equitum millibus Syriam finitimasq; regiones occupauit. Facta est tanti victoris potentia omnibus formidanda. Quare Rex Armeniae, quamuis Christianus, eius viribus exterritus, non ausus est filiam suam illi negare, quam in matrimonium poposcerat, quia pulcherrima esse dicebatur. *Ille, post aliquod tempus, è viro suo Cassano edidit in lucem partum tanta deformitatis, ut rex maritus nullo modo illum veluti suum voluerit agnoscere, quod monstrum videretur. Vocat ad consilium primarios: de ipsius sententia uxorem veluti adulteram, partum veluti ex adulterio susceptum ultimo supplicio adiudicat. Quo fugeret innocens mulier, nisi ad innocentiae defensorem Deum? Itaque deplorata sua infelicitate ad preces sacras se contulit, illi quæsta iniuriâ, cui soli cognita erat iustitia causæ. A precibus ubi surrexit, ignara cõsilij, quouie regente duceretur, saltem rogauit, ut sibi prius quàm moriendum esset, liceret sacris vndis abluere eum, quem peperisset. Annuit rex, deditq; id faciendi potestatem; ea tamen lege & conditione, ut adessent baptismo aliqui fidei spectatæ viri, vnâ cum rege, ne qua fraus intercederet. Mira res: quàm primùm baptismo tinctus est puer, adeo repentè venustus formosusq; apparuit, ut rex prodigij magnitudine permotus, cum plurimis satraparum, qui aderant, plebemq; sibi subiectam post se traxerant, manus nomēq; Deo dederit, maximumq; rei Christianæ factum sit incrementum. Quis neget hanc vim baptismo? cùm penetret vsque ad animæ labem abluendam, cur non & corporum menda posset, Deo iubente, emendare?*

Quod si puer iste non fuit satis monstruosus, alia super-

Hhhh 3 sunt

III.

Thom. Bez.
tom 1. de
Sign. Ecclef.
l. 1. c. 16. ex
Io. Villano.
lib. 8. cap. 35.
Anno 1298.

IV.

Niceph. l. 8.
 hist. Eccl.
 cap. 35.
 Sozom. l. 2.
 c. 7. Bozius
 t. 1. l. c. 16.

sunt & maiora, & quæ, dum baptismi virtutem ostenderunt, magnas Christo animas lucrata sunt. Nam, etsi alij aliter hanc historiam referant, sunt tamen etiam qui affirmant, Tyridentem Armeniæ regem, imperante Constantino, Christum hac occasione secutum. Postquam enim variè Christianos vexavit, tempore Diocletiani, visus est sibi cum multis suorum in porcum mutari. Agnoscebantur præstigæ & spectra, sed nulla erat ars, quæ ab eis regem cum suis liberaret. Solus Gregorius Thaumaturgus eum cum suis asseclis, aquis baptismi pristinae figuræ & moribus restituit. Quo signo moti Armeni longè lateq; Christi cultum amplexi sunt. Nicephorus sic rem narrat: *Cum Gregorius ille, qui miraculis edendis clarus fuit, multa à Teritate propter Christum passus, & post multas variasq; malorum species, ad quatuordecim annos, fovea cœnosa & caliginosa inclusus esset, Teritates ipse eius gentis princeps, cum domo sua tota, & cum optimatibus divino ira vindictam est expertus. Ad vitam enim simul & formam porcorum redacti seipso deorabant. Ceterum ex fovea illa extractus D. Gregorius, vno signo omnibus Christum colere persuasit: & suilla forma atq; vita liberatos, institutum nostrum complecti coëgit, delubra eis construxit, sacra arcani & mystici sacrificij celebravit, & novis miraculis demones ex ea regione exturbavit. Sunt qui Gregorium unà cum Teritate ad Imperatorem magni Constantinum venisse tradunt, eumq; tam miranda & inopinata audientem magnopere latatum esse, & Gregorium ipsum totius eius regionis episcopum ordinatum eò misisse. Ethiopem lavare posse aquam illam, quæ è porcis homines fecit, quis dubitet? Hoc nimirum est inter Mundum & Deum discrimen; Circe ex hominibus porcos, Christus è porcis homines fecit, hoc est, è porcis, humanos & homine dignos mores esse iussit. Quare & ipse Teritates tum demum verè esse homo cœpit, cum monstrum esse desijt.*

v.

Quoniam autem supra leprosos quoque, inter monstra numeravimus, quibus nihil est immundius, dicendum nunc est, hoc etiam pacto multos fuisse monstrosos, ut Deus palam faceret, quanta sit baptismi vis ad animam mundandam, si potuit à corpore lepram abstergere. Nam quemadmodum o-

lini